



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

438. Quæ sit causa impulsiva, & finalis reservationis pensionum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tenet Corrad. l. 5. c. 2. n. 4. idem asserit Paris. l. 6. q. 2. n. 5. pensionem odiosam, quia imponit servitutem beneficio. citans pro hoc Sarn. ad reg. de infirm. q. 16. Item n. 84. dicens materiam pensionem strictam, odiosam & penalem esse. Distingunt alii, ita ut velint pensionem ante concessionem, dum illa in esse deducitur, odiosam, post concessionem, quando jam in actum deducta, favorabilem dici. Burfat. cons. 126. nu. 90. apud Corrad. loc. cit. Gonz. ad reg. 8. gl. 6. proem. n. 21. citans Gig. de pens. q. 94. ad initium.

*Questio 437. Quanam sit causa formalis & materialis impositionis pensionum?*

1. **R**espondeo ad primum: Causa formalis est consensus consensus titularis & auctoritatis Papæ; nam neque sine illo consensu Papa reservat pensionem, neque consensus ille partium sine auctoritate Papæ præstat aliquid. l. 1. q. 35. n. 65. & 66. De quorum utroque in sequentibus.

2. Respondeo ad secundum: Causa materialis pensionum est dicta quantitas fructuum, vel, ut Lott. loc. cit. n. 52. & 53. quantitas certa pecuniarum; eò quòd, quamvis pensio imponatur super fructibus & emolumentis beneficii, fructus tamen hi sint in simplice obligatione, non autem in solutione. De quo infra.

*Questio 438. Que sit causa impulsiva & finalis reservationis pensionum?*

1. **R**espondeo ad primum: Causas impulsivas, quibus Papa impellitur ad reservandam pensionem, de qua hic sermo, duas solum principales assignat Lott. l. 1. q. 35. n. 45. nempe resignationem, sive simplex ea sit, sive sit pro concordia, & contingentem novam vacationem beneficii, utpote, quæ non intenduntur ut finis, sed quæ simplicem solum occasionem præstant reservandi Pensionem, & ad quas omnes alie reducuntur, vel, si qua sunt alia huc non reducibiles, hæc terminos hujus resignationis excedunt. Lott. loc. cit. n. 46. Idem ferè volunt alii, dum duplicem statuunt causam pro pensione Ecclesiastica (etiam eas non vocent impulsivas) unam onerosam, dum alicui sub onere aliquo pensio conceditur, v. g. quia beneficium resignat, vel permutat cum altero tenuiori, vel quia cedit liti & juri prætenso. Alteram lucrativam, sub qua comprehenditur ferè omnis alia causa concedendi alicui ex alieno beneficio pensionem, v. g. quia bene meritus est de Ecclesia, vel quia is, aut ejus consanguinei servitium aliquod vel obsequium præstiterunt, in cujus obsequii gratitudinem pensio conceditur, Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 2. n. 1. Azor. p. 2. l. 7. c. 21. q. 6. Paris. l. 6. q. 2. à n. 7. quin etiam *ibid.* n. 130. ex Paul. Rom. tr. de pens. q. 1. n. 1. causarum illarum impulsivam comprehensarum sub causa lucrativa quatuor enumerat: nempe literaturam, sive quia quis literatus est, seu studiis vacat; hospitalitatem, seu quia quis hospitalitatem exercet: præmium & amorem, additque in usu esse has, morum & vitæ honestatem, aliæque laudabilia.

2. Respondeo ad secundum: Causa propriè finalis in utraque illa causa impulsiva semper est unica, nempe alimentorum suppeditatio. Lott. cit. n. 46. Card. de Luc. de pens. d. 19. n. 11. ubi pensio reservata seu assignata dicitur pensionarii alimentis, quorum naturam habere dicitur, &

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

quorum jure regulatur. Quotiescunque enim Papa providet alicui sub reservatione pensionis, sive ex causa simplicis resignationis, sive ex causa cessionis jurium pro concordia, aut simpliciter pensionem reservat, tam in supplicatione quam in proemio literarum inserit clausulam expressivam causæ hujus alimentorum. Lott. n. 47. nam in casu cessionis seu resignationis, etiam ex concordia, hæc clausula concipitur per hæc verba: *ne ex cessione tua hujusmodi nimium patiaris detrimentum, &c.* & cum ex natura subjæctæ materiæ id referatur ad pensionem clerici dimittentis beneficium vel jus in eo, præferret intentionem Papæ eam reservandi in causam alimentorum, ut Gabriel cons. 187. n. 11. l. 2. Lott. cit. n. 47. Paris. cit. q. 2. n. 11. In alio verò casu simplicis reservationis, cum vacat, vel providetur beneficium, inseritur hæc clausula: *ut commodius, vel ut decentius sustentari valeas, &c.* Paris. n. 8. Lott. n. 50. Et quidquid sit de hac clausula inserta legatis vel aliis privatorum dispositionibus, in hac materia pensionis adjecta in supplicatione, & in literis Apostolicis causam alimentorum necessariò infert. Lott. cit. n. 50. citans Gig. de pens. q. 51. n. 20. & Rotam decis. 99. n. 1. p. 1. recent. unde jam concludit Lott. n. 51. quidquid sit in aliis anomalis pensionibus, in pensione, de qua hic, non cadere distinctionem, an reservata ex causa alimentorum, vel secus; cum hæc causa alimentorum vi dictarum clausularum semper sit implicita, quantumcunque non facta mentio expressa de alimentis; citatque pro hoc Riminald. cons. 298. n. 11. & 13. idque præcipuè, cum gratia pensionis facta est clerico, ut Gabriel cons. 191. n. 9. l. 2. apud eund. Lott. loc. cit. atque ita causa pensionis semper est pia; cum causa alimentorum dicatur pia. Paris. cit. q. 2. n. 9. citans Gig. de pens. q. 96. De cetero, num sine causâ validè, etiam à Papa, reservetur pensio, dicitur infra.

*Questio 439. An pensio sit quid spirituale?*

1. **R**espondeo primò: Supponendo, quæstionem præcedere non de pensione, quæ datur in titulum beneficii, nempe quando certa pensio extrahitur ex pingui beneficio, ut deinceps sit beneficium Ecclesiasticum; sed de pensione, quæ simpliciter constituitur ad tempus super fructibus beneficii, & assignatur alicui auctoritate Superioris. Hoc supposito,

2. Respondeo secundò: AA. planè non convenire in eo, num pensio ista sit quid spirituale. Utriusque sententiæ fautorum fundamenta & ferè verba proponam. Primò Garc. p. 1. c. 5. n. 8. tradit, pensionem illam (subintelligendum videtur: etiam si de cetero constituitur super fructibus beneficii alicujus) quæ titulo seculari & uti laico assignatur in stipendium pro servitio temporali, puta, pro patrocinio, pro pulsandis campanis, vel aliis pro remuneracione laborum esse omnino profanam; pro quo citat Gig. de pens. q. 67. n. 2. Duaren. de benef. l. 6. c. 4. Mand. ad reg. 19. cancell. q. 11. n. 2. Pensionem verò illam, quæ hodie est in usu, nempe quæ loco beneficii assignatur (intellige absque eo, quòd ipsa sit, aut inducat rationem beneficii, aliud enim est assignari illam tanquam beneficium, & aliud succedere illam in locum, seu loco beneficii) ut commodius quis sustentari valeat, vel ex causa resignationis, ne ex ea nimium dispendium patiat (quam proinde Mandos. loc. cit. malè vocat illam, quæ datur in titulum

T 3